



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm XXII. Non est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

non velint, modò fructus tales in loco illo sint decimabiles, cùm in tali casu non jam fructus decimati iterum decimentur, sed diversi, vel novi fructus, qui nunquam decimati fuerunt: & ager v. g. in tali casu sit in ordine ad pertolvendas decimas virtualiter multiplex, ratione variorum, & plurium diversi seminis fructuum decimabilium, quos profert: bene tamen communiter advertunt AA. quòd honestati ministrorum Ecclesiæ non conveniat, ut de quibuslibet minimis, quæ in eodem agello post demessas fruges, ad usum domesticum v. g. fortassè coluntur, decimas exigant, ne fordidi, & avari habeantur: consulenda tamen & observanda est loci consuetudo.

CAPITVLVM XXII.

Non est.

PARAPHRASIS.

Statuit Cælestinus Pontifex, cùm non sit in potestate hominum arbores plantantium, vel femina terræ mandantium, quid latio, aut plantatio sit redditura, sed fructus horum laborum nostrorum, ob incrementum, & benedictionem dante Deo, dependeat, ut de omnibus his, etiam ex negotiatione, militia, aut venatione acquisitis, decimæ solvantur ministris Ecclesiæ, antequam ullæ deducantur expensæ.

SUMMARIUM.

1. Vix aliquis usus est in nostris parvibus personalium decimarum.
2. Ha solvi non debent, ubi eorum usus est, nisi deductis expensis.

Notandum primum. Loquitur quidem in hoc Capit. Pontifex, etiam de personalibus decimis, ex negotiatione v. g. militiâ, sive prædâ in bello justo acquisitâ solvendis, & ut in cap. mox sequente ex transmissâ dicit, ex omni lucro licitè ac-

quisito: quia tamen personalium harum decimarum vix aliquis hodie in partibus nostris usus est, ideò de lucro ex negotiationibus, iusto bello, ludo, venatione liberâ, acquisito nihil solliciti; de prædialibus tantùm asserimus, cùmque Pontifice, quòd illæ sine diminutione, nullis expensis, aut tributis deductis, integre solvi debeant, & ad hanc integram solutionem faciendam, etiam per censuras Ecclesiasticas compelli possint, qui solvere quidem tenentur, solvere tamen negligunt.

Notandum secundò, Personales quidem decimas, ubi earum usus est, solvi debere, deductis tamen prius expensis (tum quòd propriè lucri rationem habeat, ex quo personales decimæ solvi debeant, quod deductis expensis in lucro acquirendo factis, superest, ut ait Vivianus in hoc cap. tum quòd pecunia illa, ex qua v. g. lucrum factum est, plerumque jam fuerit decimata, ut innuit Pontifex in cap. Pastoralis 28. h. t.) prædiales tamen decimas solvendas esse integras, priusquam ullæ expensæ, sive illæ in excolendis prædijs, sive in colligendis aut separandis fructibus, sive in meliorandis fundis &c. factæ sunt, aut fiunt, deducantur.

CAPITVLVM XXIII.

Ex transmissâ.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex, ut, cùm fidelis homo de omnibus, quæ licitè acquisivit, decimas dare debeat, miles ille nobilis, de quo hoc cap. loquitur, ad dandas etiam de molendino ad ventum exposito decimas, sine diminutione aliqua compellatur.

SUMMARIUM.

1. Quilibet homo baptizatus de se ad dandas decimas obligatur.
2. Quid de illicitè acquisitis, & quid de illis,

Aaa 3